

ditissima habilitate omnia cœlare & sculpere: quo in exercitio
plurimos etiam ætatis flore valentes videtur superare. Roma-
narum enim Antiquitatum, & inscriptionum libros suscepit
excudendos, quibus marmora antiqua cum signis, figuris, &
forma sua depinguntur. Totum hocopus in quatuor tomos
diuidit, ut cōpendiosius rem gerere possit, & sumptibus con-
sulcre, tam suis, quam coémentium: vt saltem eorum par-
tem precio tolerabili obtineat is, qui totum nolit emere.
Addetur Deo volente inscriptionum his voluminibus anti-
quę Romę typus & descriptio, cum suis insulis & regionibus:
quales nobis expressit P. Victor, & Honufrius Panuinus: cui
coniungetur hodiernę vrbis Topographia amplissima, qua
singula singulorum locorum tam publicorum quam priua-
torum ornamenra, qualia nunc videntur, & quadridui spatio
lustrari possunt obiter ab iis qui Romam proficiscuntur. Ea si
laudentur, & à benignis lectoribus æqua fronte suscipiantur,
subiiciemus locupletissimam Deorum genealogiam, & eo-
rum simulachra; qualia ab antiquitate marmoribus expressa
seruantur tam Romæ, quam in aliis Italię vrbibus. quibus ad-
dentur singulorum vitæ, & origines: & ne quid in his lector
desideret, modum sacrificandi, instrumenta sacrificiorum, sa-
cerdotumque habitus exprimemus. Postremo succedet in-
scriptionum peregrinarum tomus vltimus: quo continebun-
tur aliquot Italiæ, Galliæ, & Germaniæ monumenta. Hæc ti-
bi, Lector candide, si probabuntur, & cum fructu & delecta-
tione excipientur, abunde satisfactum erit autori Bois-
sardo & sculptori de Bry: quorum studia eò
tendunt, ut omnibus prodesse
possint & placere.

Valc.

ILLV-